

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio Theologica Solennis De Termino Salutis
Humanae Peremptorio**

**Neumann, Johann Georg
Green, Georg Sigismund**

Vitembergae, 1700

I. N. J. [In nomine Jesu]

urn:nbn:de:bsz:31-105555



I. N. J.



Um denuo Ecclesiæ datum sit offendiculum , divulgato in vicina libro,
de Termine peremptorio Salutis humanae ;
& vero Auctor illius non ex suopte
ingenio, sed ex D. Speneri libris, sese
inductum in hanc sententiam fuisse,
aperte testetur ; liceat mihi usurpare
illud , quod de Pelagio , ejusdemque
seqvacibus scribit Hieronymus : Ma-
gistri silentium profert rabies discipulorum. Quod audiverunt in
cubiculis, interclusi predican, ut , si placuerit auditoribus , quod dixe-
rint, referatur ad gloriam Magistrorum ; sin dispicuerit , culpa sit
discipuli, non Magistri. Ideo crevit vestra heresis , & decepit plus
ploros , quia semper docetis , semper negatis . T. III. Ep. ad Ctesiphont.
p. 117. Utut enim , qvæ sparsim in Antesignani libris occur-
runt , de gratia divina , peccatori , dum vivit , non semper obvia ,
pridem cordatis observata fuerint , nec obiter notata ; tamen ,
ne forte nodum in scirpo quæsivisse videremur , quod sæpe
nobis objectatum esse constat , transmittere silentio illa satius
fuerat , qvam rigidius exprobrare . Nunc vero cum proferat
ista discipulus , qvì in vicinis Ecclesiis , res novas moliri , tur-
basque & dissensiones concitare cœpit ; nostraqve de his semel
iterumqve fuerit expetita sententia ; dandum hoc veritatis
studio , & mutuo inter nos consensui fuit , ut evolveretur istud
argumentum , publicæque censuræ submitteretur . Neqve
tamen cum auctore scandalosi libelli disceptare animus est ;
qvippe cuius causæ ingemiscimus potius , abreptumqve in

hæc præcipitia dolemus : nec, qvas tam operose conquisit rationes, istius profecto momenti sunt, ut confutari singulæ mereantur; cum & semetipsas tollant subinde, & propria concidunt fragillitate; Qvin potius Antesignani expendemus asserta, & hujus potissimum investigabimus mentem ; ne vetus illud Sectariorum effugium opponat, deteriores Magistro discipulos fieri, optimeque cogitata in pessimum qvandoque sensum detorqveri. Itaqne, cum non de re ludicra discepatur, sed de gratia Dei, ipsaqve æterna salute, ad qvam votis omnibus adspiramus ; id in primis dabimus operam, ut, procul omni contendendi libidine, perseqvamur negotium, & quoad fieri potest, brevissimè, ipsius rei nervum incidamus.
Benedicat nobis Deus noster, benedicat nobis Dominus noster, suamque nobis gratiam impetriatur!

SECTIO I.

§. I.

PRIMUM OMNIUM de mente Dissentientium constare oportet, ut hinc controversiæ status rectius innotescat, & omnes adeo evitentur ambages. Ipsa loquendi ratio, *de termino peremptorio*, cum nec in Scripturis obvia sit, nec in Ecclesia haetenus audita; ex Jutorum foro, ut apparet, desumpta est, atqve ad describendamconomiam salutis traducta. Primus autem, quod sciām, ad hoc negotium eandem applicuit D. Spenerus, cum explicato *Luc. XIII. v. 7.* ita pergit: Dieses gehört also unter die Geheimnisse der göttlichen Gerichts-Cansley / wie weit oder nahe Gott einem ieden seinen Terminum peremptorium, nach welchem kein weiterer Berzug geben werden soll / bestimmet. Bey der ersten Welt vor der Sündfluth waren 120. Jahr/ die Gott noch wartete / zu andern Zeiten / mags eben nicht so lange gewehret haben. So wäre